

N. 6. 4

60 a. - 77

Libb. grünst. in 8.
Nr. 113.

Ma 113

Q. D. B. V.

21



FRUCTUS
LINGUÆ ARABICÆ,

Inclutæ Facultatis Philosophicæ
indulgu,

DISSERTATIONE PHILOLOGICA

in

ALMA LIPSIENSI

H. L. Q. C.
ostendit

ac
d. VII. Decembr. A.O.R. M DC XCII.
publicæ συμφιλολογίαν την disquisitioni
submitit

P R Ä S E S

M. JOH. DAVID Schieferdecker/

Weisenfels. Misn.

R E S P O N D E N T E

JOHANNE-MARTINO Schmid/

Coburgo-Franc.

Auctior edita Anno M DC XCV.

18.

M. A. D.

•(o)•



MAgnum Orbi literato
lumen illuxisse , quan-
do summâ Divini Numi-
nis gratiâ , singularique
Clementiâ hoc nostro Sæculo Ara-
bum literæ in Europa florere cœ-
perunt , neminem licet lateat , nec
opus esse censeamus , istas à nobis
suis laudibus commendari in præ-
fenti , cum jam cuivis Linguæ hu-
* 2 jus

❧ (o) ❧

lus gnaro perspectum sit , quantum ad occultas antea plurimas res adeundas luculentam istam facem præferri conducat , neque ignoramus , dudum jam Viros quosdam hujus Linguae peritissimos , ut puta *CL. Erpenium , Golium , Pocockium , Hottingerum , Wasmuthum & alios* hac de re disseruisse ; placet tamen hoc loco de USU HUJUS LIN-
GUÆ MULTIFARIO proferre in medium quædam , publicoque sub dissertationis Schemate sistere . Antequam vero ipsum hoc aggredi- amur , devota mente Deum ter Optimum terque Maximum suppli- ces invocantes veneramur , velit suo nobis in hoc negotio præsidio adesse , nostrisque conatibus ex alto benedicere clementer !

§. I.

AD arcem causæ è vestigio viam adfeste-
stantes haud molestos B. L. fore nos o-
pinamur , si circa vocis originem *ωc c̄*
παρέδω saltim monuerimus quædam . Ara-
bicam

•(o)•

bicam Linguam ab Arabia ejusque incolis
nomen traxisse nemo facilē dubitārit ; cir-
ca Arabiæ verò denominationem non una-
mens Philologorum pariter ac Historicorum
deprehenditur. Diversis enim diversa pla-
cket sententia. *Gabriel Sionita* & quidam
alii rectè negant Arabiam juxta communem
sententiam ab *ARABO* Apollinis & Baby-
loniæ filio ita vocari , sed potius ab *ARA-
BA* plaga , prope Medinam sita , volunt .
Sic enim ille in *descriptione Arabiae Cap. I.* *A-
rabia* , inquit , non ab *Arabo* , *Apollinis* &
Babylonie filio , ut *Latinorum* plerique asse-
runt , sed ab *Araba* , *plaga* non longè à *Me-
dina* sita , *nomen* fortissima est , quam incoluit
Ismaël , *Abrahami* & *Hagaris* filius , à quo
etiam *Ismaélite* & *Hagareni* vocantur .

§. II.

Dicitur Ebræis *Arabia* עֲרָבָה & ejus Po-
pulus עֲרָבִים quod ultimum quoque turbam
promiscuam aliquando notat ; & propterea
Arabes ita appellari dicunt quidam , quod
illis alii hinc inde populi sint admixti , ut
Scenobitæ , Trogloditæ , aliique intra Ni-
lum & mare rubrum , quos clarius paulo
recenset *Dionysius Alexandr.* de *Situ Orbis p.*
255. his versibus :

* 3

A.M.

(ο)

Αλλ' οτοι πεῶται μὲν τοερ κατίπαν λιβάνοι
Αφγανοὶ ναίσον ἐπωνυμίην Ναζαραῖοι,
Ἄγχι δὲ χαθλάποι το καὶ ἀγρέες δις σπήλαιοι

κατεραμίς ὄνναίες, κατεαντία περσίδοις

Αυτῷρ ἐρυθραῖς πλεύρῃ ναίσον θαλα-

άσης

Μινναῖοι το, Σάβαι τε, καὶ αγχίγειοι κλε-

ταῖνοι.

Τόσα μὲν αἱραΐβην τελιώσα φῦλα νέμον-

ται.

Vid. Eustathii Episc. Thessalon. in hunc locum.
Commentaria. Robertsonitidem in Thesauro
Ling. Sancte fol. 767. hoc nomine appellari A-
rabes putat, quod permixti primūm fuerint
ex variis populis. Vid. h. l. Lensden. Spicil.
Philol. p. 415. Sectt. 20. Indole sua مُرْبَى no-
tat Arabem & ejus Foemininum ipsam Lin-
guam, diciturque à Rad. مُرْبَى alacer &
lubens fuit: Arabes enim alacres celeresque
fuisse semper, atque ab agilitate & celerita-
te sua etiamnum laudari constat. Sed allu-
sio potius hæc est, quam vera Etymologia.
Ceterum non pauca reperiuntur nomina,
quibus Arabes insigniri solent. Dicuntur
enim تَمْبَدْ بَوْلَه Populus Muhammedis:
الكتاب

﴿﴾ (۱) ﴿﴾

أَهْلُ الْكِتَابِ Populus libri ; أَهْلُ اجْمَاعِهِ Populus congregationis ; أَهْلُ الْأَيْمَنِ Populus Legis ; سَاجِدُونَ سَاجِدُونَ Sanctæ fidei Homines , Deo-
que fideles , مُؤْمِنُونَ Credentes ; أَهْلُ الْأَسْمَاءِ ابْنُو نَّوْنَ سَارَقِينْ Saraceni ; قَرْيَةُ هَاجَرِيْنْ Hagareni ; سَرْكَيْنْ Ismaelis ; هَاجَرِيْنْ Hottingerus Hist. Orient. Lib. I. cap. 1. Sed mittimus πάρεργα & ad rem ipsam acce-
dimus ; eamque à commendatione hujus
Linguæ ordimur.

§. III.

Linguam itaque Arabicam commen-
dari optimè dupliciter posse credimus. Pri-
mo quidem ab Antiquitate. Originem
enim traxisse à Jectane , Semi pronepote
multi statuunt cum Wasmutho in Paren. Gram.
Arab. adstipulante Bocharto in Phaleg. Lib.
II. cap. 15. p. 110. his verbis: Imò ut rem cer-
tam affero , Jettanem & Jettanis posteros ne-
que Arianam insedisse , neque Indianam , sed A-
rabie felicis intima , quod evincunt he ratio-
nes. Primo , nisi aliud obstat , unicuique
genti natales suos referenti credi par est ; Eu-
ropæ pro Conditore suo celebrant Japhetum seu
Japetum , Africani Ham seu Hammonem ,
Ægyptii Mefrem , Syri Aram , Phœnices Xyæ

jen Chanaanem &c. Ita pridem apud Arabes invaluit hec opinio, Jectanem seu Cathanem (is enim apud eos est binomius) esse Arabum parentem, & repertorem Lingue Arabicę. Ita statuunt Scriptores inter illos magni nominis, Joseph ben Abdillatis in opere Genealogico, & Mohammed ben Jacob Syrazita apud Autorem Alcamus &c. Plura jam è Bocharto adducere nimis longum es- set, cum jam luculentum satis ac probabile sit, Autorem hujus Linguę Jectanem fuisse, ut pluribus jam demonstrabitur.

§. IV.

Alia tamen sententia placet CL. Hottin- gerō, qui Chusi filium Saba, Chami nepo- tem, Autorem hujus Linguę statuit. Ita enim in Smegm. Orient. Lib. cap. III. §. XXXII. de Lingua Arabica: *habuit hanc primū*, ait, *Chusi filius Saba, Chami nepos, & cum hoc Sabai; quam ab iisdem dein etiam didi- cerunt Ismaēlite, qui partem Sabea Borealem, quam desertam Arabiam vocant, habuerunt.* Huic & suffragatur Brian. Waltonus, Diff. de Linguis Orientalibus, p. m. 73. 74. Ast de Phalego dicitur Genes. X. 25. illum ea de causa כִּי בַּיָּמִים פָּלָתָן וְאֶרֶץ פָּלָג vocatum fuisse, quia

❀(o)❀

quia in diebus ejus divisa fuit terra. Per hanc autem divisionem etiam divisionem Linguarum intelligi volunt nonnulli cum *Lewdenio*, qui expressè afferit, temporibus Phalegi Linguarum divisionem esse ortam, aitque, hanc causam divisionis terræ fuisse; vid. *Ejus Phil. Ebr. diff. XIX.* & *Augustin. de Civit. Dei Lib. XVI. cap. m.* Quid itaque obstat, quo minus hanc Linguam ab ejus fratre *Jectane inventam esse statuamus?* cum filios ejus orientem versus habitasse Scriptura afferat, eumque primogenitum suum vocasse **אלמדד** quod ipsum origine Arabicum esse dicunt, nonnulli derivatum à verbo **אָו** extendit, produxit, procerus fuit &c. idque per Articulum **י** innui, indeque luculentum testimonium, *Jectanem* Arabicam primum calluisse Linguam, elici posse credunt, quippe qui primus ejusmodi nomen filio suo impo- fuerit, ac eo quasi votum intenderit, ut Deus hujus familiam aliquando extendere atque producere, ipsum verò Almodad pro- cerum magnumque facere velit. Ita con- stat quoque totam ferè Schemi, & per con- sequens Heberi familiam Arabiam incoluisse, ut colligere licet ex *Patricide*, ab *Hotting. Smegm. Orient. Lib. I. p. 269.* citato, qui ex Schemi posteris fuisse ait *Babylonios, Persas,*

Cho-

•(o)•

Chorasanaos, Pharganeos, Sindeos, Hindeos
Jeziraos, Zineos, Hebreos, Jamneos, Thaiseos,
Jemaneos, Bachraneos, (Icharaos) & va-
ria Arabum genera. Cui sententia quoque
favet Golius, qui in *Præf. Lex. Arab. Lat. as-*
serit, in ipsa Heberi familia primum natam
hanc Linguam esse. Vide insuper *Ed. Po-*
cockij Orat. Carmini Tograi premissam, &
quæ de *Sabeis* dicat *Jobus Ludolfus in His-*
tor. Æthiop. L. II. c. 3. N. XVI. & in hunc lo-
cum *Comment. fol. 226. 227. it. Lib. I. c. 1. N. XX.*
& *Comment. f. 66. 67.* De his plus satis in præ-
senti.

§. V.

Linguam hancce *Secundo* comen-
dari posse videamus à *Suavitate & Ele-*
gantia. Consistit autem illa 1.) *in Vocum*
Copia. Quanta ea sit, facile cognoscet-,
qui unicum saltim *Golii* aut *Meninsky Lexi-*
con viderit. Nullam enim unquam in iis
reperiet vocum inopiam. Sic in priori Le-
xico unicam vocem *infortunium* (tacemus
alias) ab *Arabibus* ferè *Sexagies* exprimi
scimus, adeò divitiis & abundantia vocum
Lingua hæcce pollet. Recensione digna-
sunt hoc loco *Pocockii* verba, quæ haber-
Orat.

Orat, jam citata: In ea (Lingua Arabica) tanta est Synonymorum varietas, que Auditorem ad stuporem adigat. Tanta ea, ut sepè vel diversorum nominum unam eandemque rem significantium enumeratio & explicatio summa voluminis integri materiam prabuerint: sic doctissimo Grammatico, Chalavveiki filio, unius Libri subjectum, Leonis, alterius Serpentis nomina suffecerunt. Nec mirum cum Leonis quingentas, Serpentis ducentas appellationes diversas collegerit. Sic Hamzah Ebno'l Hasan, Mel octoginta nominibus appellare noverat, nec totam tamen eius nomenclaturam absolvisse compertus est; ne nec ille (credo) qui Ensis triginta duo, vel Lapidis septuaginta tenuerat. Ex his de reliquis conjecturam ferre licet. Hæc Pocockius, quem & de sequentibus aedas. Epithetorum insuper copia apud Arabes tanta est, ut in Libro aliquo precum MS. quem possideo, de Deo ultra 250, ejusmodi attributa serie quadam recenseat Autor. Sic & in alio, 100. precum formulas continente, singulis precationibus Epitheton Nominis Divini est præmissum. Consistit porro Linguae suavitas 2) in Phrasologie Nitore, qui tantus est, quantum in alia Lingua aut vix aut nunquam reperias. Quæ enim elegantia, quan-

(o)

quantaque gravitas trito illi : بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ
اللَّهُ الرَّحْمَنُ الرَّحِيمُ quo omnes Corani Suratæ , plurimique Libri , preces & Epistolaæ inchoantur , inest ! Verti vulgo solet *In Nomine Dei Miseratoris Misericordis.* Ubi observant Corani interpretes aliquie Arabum Philologi , primam vocem plerumque à Scriptoribus extendi solere hoc modo : بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ ad contestandam erga Divinum Numen reverentiam ; Illi porrò vocem بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ & بِسْمِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ seu بِسْمِ الرَّحْمَانِ الرَّحِيمِ coincidere , ita tamen combinatas majorem habere energiam ajunt , ut significant *summè Misericordem.* Cui & Beidavi addit , بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ seu بِسْمِ الرَّحْمَانِ الرَّحِيمِ majorem Misericordiaæ ac Bonitatis perfectionem denotare , internam nempe , seu etiam communem in credentes pariter atque incredulos effusam ; بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ autem externam , suoque effectu perceptibilem , vel particularem , quæ solos fideles spectet . Paraphrasis quoque Persica Hoseini in hac formula per بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ seu بِسْمِ الرَّحْمَانِ الرَّحِيمِ Deum intelligit quatenus essentiam omnibus & vitam impertit ; per بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ vero , quatenus ea sustentat atque conservat . Qua de re pluribus legatur *Goli Gram. Arab Erpen.* p. 179. & Chardini *Persianische Reisebeschreib.* p. 331. §. 4. Votivam Persarum ayem in fronte

Dis-

Dissertationis hisce vocibus concinnatam vide. Placet hoc loco animi causa ridiculam lectionem & explicationem triti hujus addere, quam habet Georgewiz in libello de Turcarum moribus. Accipe, L. B. istam, & compone frontem. Singulis, ait, Alchorani capitulois prescribi solent sermone Arabico hac verbia: *Bi sem Allahe el Rahmine el Ruohim*; quorum interpretatio hec est: *Bi, id est in: Sem, id est Nomen: quasi dicat in Nomen; Allahe, id est DEI: el Rahmine, id est, Misericordiae: el Ruohim, id est Spiritus eorum.* His subnectit sequentia: Scendum, quod Lingua Arabica multum affinitatis habeat cum Hebraica & Chaldaica, que committo iudicio Virorum cognitionem habentium Hebraici sermonis, veletiam utriusque; nam Sem & Hebrei dicunt, quod significat Nomen: Allah, apud Arabes, Elohim, apud Hebreos & Chaldaeos. Rhaman utriusque nationis est vocabulum, quod significat Misericordiam, ita quoque & Ruoh Spiritum significat, & addita im sit pluralis; nam Hebraica pluralia plerumque in im terminantur. Post paulo ex hoc mystrium Trinitatis elici posse, perque Deum, Patrem, per Misericordiam Filium, per Spiritum

•(o)•

ritum eorum *Spiritum Sanctum* intelligi ait,
atque Muhammedem quoque Trinitatem
credidisse parum abest quin afferat. Vides,
quæ ex infirmitate Linguæ hujus oriri possit opi-
nio , inepta planè risuque dignissima ! Ve-
rum , ad rem è diverticulo redeamus. Ex-
empla jam allato à nobis parallela ex solo
Corano adducere penè multa possemus , ni
brevitati studere constituissemus nobiscum .
Unum hoc dixisse opera pretium ducimus,
unicam in Arabicis Radicem sèpius trigin-
ta , aut quod excurrit , inferre significata,
utpote quæ pro diversa Conjugatione non
solum sint varia , sed & in singulis Conju-
gationibus abundant , ut facile illi perspe-
ctum erit , qui Musas hujus Linguæ vel à
tergo salutavit. Vid. & conf. per omnia CL.
Pocockius loc. cit.

§. VI.

Specialius nunc paulò de *Uſu* erit
disquirendum. Offert autem sese in primo
statim limine *THEOLOGIA* , ubi Usus
hujus Linguæ penè incomparabilis cernitur.
Obtinet ille *I.in s.Contextu Veteris Testa-
menti* , ut ex sequentibus colligere est. Pri-
mo facit hæc Lingua ad solidam Hebraismi in-
tel-

telligentiam. Non enim pauca invenies vocabula , quorum thema et si Hebraicum sit, apud Hebraeos tamen exoletum non nisi ex Arabica peti potest Lingua. Est enim ista Thesauri materni custos fidissima. In frontispicio statim Sacri Codicis Gen. I. i. tria occurunt vocabula , quæ originem huic Linguae debent. Prima vox est אָלֹהִים quam, et si alii ab אֱלֹהִים alli ab אֱלֹהִים juravit, originem ejus petant , derivari, optumè posse, ab Arabico اللهم coluisse , adoravisse , (undè & ipsi Arabibus est اللهم Deus ille Optimus Maximus,) censem plurimi Philologorum, atque ita adorandum calendunque Numen notare ajunt. De qua re leg. Robertson. Diff. de X. Nominibus Dei Hebraicis ; Wasmuth. Paran. Gram. Arab. Leusd. Phil. Hebr. Diff. XXXII. & aliis. Secundae vocis יְהוָה thema unde petes elegantius , quam ab Arabico الله Alius fuit ? Unde & الله Cœlum ab altitudine dicitur , alia licet Etymologia placeat Lexicographis quibusdam Hebreorum quorum diversas sententias collegit Robertson, Thes. Ling. Sanct. R. יְהוָה f. 1216, Tertiam tandem vocem יְהֹוָה deduci eleganter quibusdam constat à Rad. يَهُوَّه quæ humilem ac depresso , amœnum ac conspectu gratum, item gravem esse notat, quod ipsum de Terra dici

(o)

dici posse quis negabit? Vid. Pocock. Not.
Misc. p. 34. Holing, Smegm. Orient. Lib. I. Cap.
V. p. 69. Exempla jam alia sicco transimus pe-
de, quoniam in Hotting. Smegm, Or. p. 116.
E Clar. Cellarii Tract. de Usu Ling. Arab. Ety-
mologico Ordine Alphabetico conscripta e-
jusmodi vocabula' L. B. plura cognoscet.

§. VII.

Satis itaque constat themata obsoleta
seu perperdita ex hac restitui Lingua com-
modè posse, quod & Bochartus afferit in suo
Phaleg. Lib. I. cap. XV. p. 65. his verbis: *Ad
Hebreæ Lingua perfectam cognitionem multò
plus confert (Lingua scilicet Arabica) quam
creditum est hactenus; quod Hebreorum in-
Scripturam commentaria nocent, qui, quoties
haret calculus, ad hanc Linguan configunt,
ranguant ad sacram Anchoram.* Idem Do-
ctiss. Waltonius Praef. de Bibl. Londin. p. 43. **E**
Diss. de Linguis. Orient. p. 77. 78. affirmat: *Ma-
xima tamen, inquiens, ejus (Arabicæ Lin-
guæ) utilitas est necessitas ad Linguan He-
bream & Sacra Biblia intelligenda, cum He-
braica Lingua, que mutila & exigua ex par-
te in V. T. reliqua est, ex Arabicæ, que ad-
huc integra, suppleri & disci possit: multa e-
nīm*

enim vocum Hebraicorum Radices Arabicae sunt, unde Hebraica vocabula, que semel in V. T. Testamento occurruunt, ex consuetudine Arabici sermonis exponenda statuit Aben-Esra Comment. in Cant. Salomonis ob Linguarum affinitatem. Sic & Petrus Ravanelius Bibl. Sacr. p. 296. Adde, quod Aben Esra, referente Paulo Fagio, super Gen. I. i. afferat ☰ יְהוָה idem significare quod altum vel supra; que Etymologia cœlo optimè convenit: Id quod probat ex Lingua Ismaëlitica, que plurimum affinitatis habet cum Lingua Hebreæ. Conf. hoc loco Noldii Concord. Particul. p. 1044.

§. IIIX.

Secundo hæcce Lingua integro inservit explicando Libro Jobi, quippè ubi frequentes sunt voces & phrases Arabismo debitæ. Ita enim Bochartus loc. cit. Arabismis referti sunt, ait, Scripturæ Libri Poetici, Jobi maxime, ut pridem observavit Hieronymus. Accedit ad hanc sententiam Hottingerus Smeqm. Orient. Lib. I cap. V. his verbis: Sane nondum χρῆσις ὡραῖος creditum, Jobum cum Arabica Lingua plurimam habere societatem, Hieronymi jam judicium fuit Pref. in Daniel.

**

quod

quod tanta nonnunquam Viri magni exceperunt reverentia , ut vel hanc unam ob causam dignam estimarint Linguam Arabicam , que foro Theologico commendetur. Vid. insuper Walton. loc. cit. & Verba Francisci Gomari , que recenset Hotting. Thes. Phil. p. 505. De Jobo jam , ejus Patria , numque Librum suum Arabicè scripserit , isque à Mose in Linguam Hebræam translatus sit , ut putant Hebræi quidam apud Genebrardum in Chron. p. 67. & Gregor Magn. Lib. 20. Moral. cap. 25. jam non differendi tempus erit , cum de ista re fusè scripserint Hotting. Thes. Phil. Lib. II. Cap. I. Sect. 3. Leusden. Phil. Hebr. Diff. VIII. & Clav. Hebr. in Job. p. 468. aliquie. Præstat in præsenti asserti in medium proferre testimonia , nonnulla. Cap. XVI. 15. vox רְלֵג cutis , est metrè Arabica , nempè حَلْجَ (quod idem significat) à Rad. حَلْجَ percussit laetique in cute ; Jobi itaque cutis percussa , ulceribusque lefa hoc ipso innuitur. Sic Cap. XXIV. 8. verbum רְתַב virescere , humidum esse ; & Cap. IIX. 16. רְטוּב humidus , succipiens , optumè redditur ex Arabico طَبَقْ humidus fuit , & طَبَقْ seu طَبَقْ humidus , virens , recens. Vocem porro יְכָבֵר Cap. XXXV. 16. & כָּבֵר Cap. XXXVI. 31. unde Nomen כָּבֵר multus magnus , in solo reperies Jobo : Ecquid

quid verò Arabibus usitatus formulâ istâ,
quæ in Magna Dei veneratione aut invocatione,
maximèque à præconibus Muham-
medicis ad plebem è pinnis dici solet : & **¶**
¶ *Deus Magnificus seu summus ! Thema
est ¶ Magnus fuit , magnificet , magnum
prædicavit &c. Plures voces integrasque
Phrasæ , quæ Arabismum sapiunt , vide a-
pud Hotting. Thes. Phil. Lib. II. Cap. I. Sect.
III. & Anal. Hist. Theol. Diff. VI.*

§. IX.

*Tertio Ritus non solum , verum & Ce-
remonie Veterum , quarum passim in S. Con-
textu fit mentio , magnam ab Arabismo fœ-
nerantur lucem , id quod patet ex sequenti-
bus. Ezech. XXI. 21. mentio fit Oraculi sagit-
tarum , de quo Steph. Morinus diss. de Orac.
p. 199. ita loquitur : Rex Babylonie anceps quo
arma inferret & in bivio constitutus ante se vi-
deret Rabatham Ammonitarum & Jerosoly-
mam , consulit Deos suos , & , ut vult Hiero-
nymus , utriusque urbis nominibus haruna
Urbium duabus sagittis inscriptis eas misceret , &
in Pharetram cum fasciculo conjicit , ut ea
Urbs , cuius nomen prior educta sagitta pro-
ferret , prima oppugnaretur , quod Jerosoly-*

◎◎◎

me iusto DEI iudicio contigit. Græci hoc
Oraculum θελομαντίαν dixerunt. Idem fer-
mè mos erat apud Arabes & divinitationis
modus, quem vulgo لاعل vocant. Cum
fusciendum esset alicui iter, vel aliud quid-
piam magni momenti agendum, tres vascu-
lo iuclusas consulere sagittas solemne habe-
bant. Quarum primæ *أوسم ذي رب* iussit
me Dominus; secundæ *ذهاني رب* prohibuit
me Dominus, inscriptum: *Tertia* vero nul-
la nota insignis erat. Unam harum manu
extrahenti si illa occurreret, quæ juberet, a-
lacri animo pergere; sin illa, quæ veta-
ret, desistere; quod si tertia, reponere do-
nec alia prodiret, consueverant. *Vid. Po-*
cock. p. 329. & Hotting. Anal. Hist. Theol. p. 260.
261. ut Noldii Concord. Particul. p. 895. 896. A-
liud quoque fortilegii genus habes apud
Eudem Hott. Hist. Orient. Lib I. cap. VIII. p
269. 270. Sic Ezech. VII. 14. ait Propheta,
וַיָּבֹא אֶתְיוֹ אֶל־פִּתְחָה שֵׁעָר בֵּית
יְהוָה אֲשֶׁר אֶל־הַצְפֹּנָה וְהַנֶּגֶד שֶׁם
הַנֶּשֶׁמֶת יִשְׁכַּן מִכְסָת אֶת הַתְּמִוֹן
Et deduxit me ad ostium portæ domus Jehove,
*qua est ad Aquilonem; ubi ecce mulieres sede-
bant, deflentes Thammuz. De quo apud A-*
rabes plorandi ritu ipsoque Thammuz vid.
Golii in Alfrag. Note p. 18. & Hotting. loco jam
est.

❀ (o) ❀

cit. Videmus itaque ritus hosce ex Veterum Historia Arabum cognosci optumè posse.

§. X.

Quarto denique juvat nosse Linguam Arabicam ad conciliationem & explitcationem *Homonymorum*, quæ varias interpreti moras injicere possunt, & à doctissimis interdum non satis attenduntur. Rem exemplis declarabimus. Vox נפש Hebræis non *Anima* tantum, sed & *corpus*, idque exani me, *Hagg. II. 14. Levit. XIX. 28* & *XXI. 1.* de notat: Arabibus éadem voce نفس *Anima* & *corpus* exprimitur. Illis porrò est *dare* & *accipere*, hinc non malè Eru di opinantur, Hebraicum לְקַח inde & ob tinuisse significationem hancce, eaque pro pter, cum *Pf. LXVIII. 19.* legatur לְקַח־ כִּתְגָּוֹרָה *Accepisti dona*, Arabem non so lum haud incongruè translatisse وَأَعْطَى مُوَهَّبٍ sed ipsum Apostolum *Eph. IV. 8.* per ἔδωκε δώματα, & ibidem Arabem وَهُب مُوَهَّبٍ dedit dona, expressissè. Locum adhæc *Mich. V. 2. coll. cum Matth. II. 6.* ubi circa vocem צְעֵיר magnæ moveri solent controversiæ, explanatum vide apud *Pocock.* Not. *Miscell. cap. 2.* & *alios.*

*** 3

§. XI.

Addimus jam quædam de variis *V. T. Versionibus Arabicis*. Prodierunt autem translationes vel Universales, totius nempe *V. T.* vel particulares, quorundam duntaxat Librorum. Prostata *Universalis 1.) R. Saadiæ*, qui הנאן audit, de qua *R. Gedalias in Schalsch. Hakkabb. p. 38.* scripta ejusdem recensens ait: בלשון ופִרְחָתָרָה רַבְאָרָה עֲרָבִי וּמִבְּרָאֵו זַעֲרָא כְּפָרָשׁ כְּרָאִירָה: (*Raf Saadia*) translulit etiam legem in Lingua Arabicam, quam adducit *Ahen Esra in Parascha Bereschit*, Vid. & conf. *Dar. Gans in Zem. Dav. P. 1. p. 52.* De hac Saadiæ paraphasi *Erpenius* quoque præf. in *Pentat. Arab.* loquitur: *Saadius Gaon Judeus unde quaque doctissimus omnes V.T. Libros in gratiam suorum longè lateque per universum Imperium Saracenicum in Asia Africaque dispersorum in sermonem olim transfudit Arabicum. Conf. & hoc loco Walton. Diss. antè cit. p. 79 80. 81. ut & Petri Dan. Huetii Lib. de Clar. Interpr. p. 131. seqq.*
2.) Alia elegans apud Arabes Christianos nata, cuius exemplar primum in Bibliotheca Francisci Savari de Breves extitisse, post verò Bibliothecæ Regiæ Parisiensi insertum afferit *Hotting. Thes. Phil. I. cap. III. p. 267.* Inter Particulares translationes extat

* (o) *

extat Thomae Erpenii *Pentateuchus*,
operā Judæorum Maurorum confectus, de quo
quid ipse senserit Auctor ex præfatione ejus
colligere est. Alium *Ibn-Sinæ Pentateuchū*
asservari in Bibliotheca Laurentiana ait *Hot-*
ting. loc. cit. assérente idem *Walton. loc. s̄epins*
cit. quorum primus & sub finem Geneseos
fabulam de Esavo, & Ægyptiis adjectam,
plurimisque in locis mendosé maleque ver-
sum esse, ostendit. *Paraphrasis Psalteriæ*
prodiit 1. *Romana* à Victorio Scialac Ac-
curensi & Gabriele Sionita Edenensi, Ma-
ronitis è monte Libano cum Versione Latini-
na Romæ 1614. edita. 2. *Nebiensis*, quæ fa-
tis mendosa deprehenditur. Tacemus jam
Ægyptiacam & Syriacam à Nebiensi ad *Ps.*
XIV. & *LXXXIV.* allegatas. *Conf. & h.l.R. Si-*
monis Hist. Crit. V.T. Lib. II. cap. XVI.

§. XII.

Cernitur II Uſus haud exilis in *S. Con-*
textu Novi Testamenti, cuius Verſio-
nis editio gemina nobis innotuit potissimum,
Romana videlicet, & Erpenia, quarum po-
ſtrema cuivis ſatis erit cognita atque perſpe-
cta. Primò enim multa illuſtrantur loca *¶*
explicantur; v.g. 1. *Joh. V. 21.* Φύλαξατε ἐ-
πιτάχεις δέπο των εἰδώλων, *cavete uebis* à *Si-*

mul-
*** 4!

﴿(o)﴾

mulcris , eleganter reddit Arabs : احْفَطُوا نُفُقَ سَكْرَمْ عِبَادَةً لِلْأَصْنَامِ custodite vosmet à cultu Idolorum . Ita Rom . III . 28 . ubi in fontibus est : λογίζουσθα δι πίστει δικαιοδοσίᾳ ἀνθρώπων , arbitramur igitur fidei justificari hominem &c. Arabs habet : فَنَعِلمُ أَنَّ الْإِنْسَانَ أَنْهَا يَتَبَرَّعُ Certo igitur nunc scimus quod homo duntaxat justificetur per fidem ; Idem . Matth . VI . 11. τὸν ἀρτὸν ὑμῶν τὸν ἐπιδότον panem nostrum quotidianum , nervosè atque Emphatice interpretatur ita : خَيْرَنَا كَغَافَنَا panem nostrum sufficientem , seu ut Syrus effert : لَدَّهُنَّا بِرَبِّنَاهُنَّا panem indigeniae nostrae , i.e. quantum ad sustentationem nostram sufficit , quantumve indigemus . Vid . Dilherr . Eccl . Sacr . dict . XI . p . 46 . Alia , jam hujus rei proterre exempla supersedemus .

§. XIII.

Secundò Paraphrastes hicce nunquam sine eleganti aliqua formula librum aliquem auspiciatur & claudit . Initio plerumque hoc voto felix rei auspicium precatur : دَعْوَةً لِلْأَبِينَ وَالرَّبِّ حَالِقَدِيسِينَ أَهْدَى

﴿(٥)﴾

In Nomine Patris , Filii
وَ Spiritus Sancti , Dei Unius ! In fine
cujuscunque Libri subjungit breve quasi &
succinctum Evangelista aut Apostoli curri-
culum vitæ , additis variis scitu dignissimis,
ut ex clausulis Evangelistarum , quarum duas
jam subjungemus , claret : I.) Matthæi :

كُلُّ نسخ بشاره مثي الرسول
وكان كتبها بارض فلسطين
بالهام روح القدس عبر انها بعد
صياغتنا يسوع المسيح بالجسد
إلى السماء بتبيان سنته في اول
سنة من ملك اقلوب يهود قبص
ملك الارض و المجد لله دائمه ابداً

Absolutum est exemplar Evangelii Matthei
Nuntii , et scripsit illud in Terra Palestina du-
cta Spiritus Sancti Lingua Hebreæ , post ascen-
sionem Domini nostri Jesu Christi corporalem
in cœlos Anno 8. à Regno Claudii Cæsaris Re-
gis Romanorum . Sit Gloria DEO perennis in

كـمـلـت بـشـرـة يـوحـنـا (٥)

Secula! 2.) Johannis
بن زيدی الرسول احد الاثني
عشر كتبها بالپونتی لاهل مدينة
أفسوس بعد صعود ربنا الي
السماء بالجسد بتلتبين سنة في مملكة
قبرون ملكى الروم وكم
بكمارها الاربعه الا ناجيل المقدسة
اربعة انهار الحياة والمجد لله

أبداً Absolutum est Evangelium
Johannis Filii Zebedei Apostoli unius è due-
decim. scripsit id Lingua Graeca populo Ur-
bis Ephesina post ascensionem Domini nostri in
caelos corporalem Anno 30. Regnante Nerone
Rege Romano. Et absolutum est in absolutio-
ne quatuor Evangeliorum sanctum quadruplex
flumen vita. Gloria sit Deo perennis in Secu-
la! Vides, quantà elegantiâ epiphonema-
ta singulis adjecerit Paraphrastes. Plura
habentur in ipso Kirstenio qui *Vitas Evange-
listarum Vratislaviæ A.C. 1608.* edidit, &
apud Hotting. *Anal. Hist. Theol.* à p. 275. usque
ad 281. ubi & *Usum* harum Versionum E-
lenchti-

(o)

lenchticum & Exegeticum. à p. 265. ad
282. clarius paulò cognoscere licet.

§. XIV.

Videamus jam III. quantam hæc Lingua
Theologie Historicæ facem accendat.
Quantum enim est, nati Muhammedismi tem-
pora ostendere posse, dogmata, variosque
ritus ac Ceremonias ejusdem, statum Chri-
stianæ Ecclesiæ ab Orientali Anti-Christo
infestatae, ipsiusque Anti-Christianismi Ori-
entalis rationem, noslè; scire quoque, un-
dè agyrtæ iste Muhammed sua derivet incu-
nabula, qualem & undè sibi religionem cu-
derit, quid Alcorano demandaverit, qua-
re à Coreischitis & Meccensi Magistratu
Meccâ ejectus Medinam se contulerit, (quam
fugam & ~~Arabos~~ vocant Arabes) quos hostes
devicerit, quos subruerit, quos successores
reliquerit, quæ inter Muhammedanos Sectæ
prodierint, & quæ sunt alia ejusmodi scitu
necessaria! Cuncta hæc undè cognosces ac-
curatius, quam ex ipsissimis Arabum mo-
numentis Historicis? quorum celebriora
sunt *Saidi Patricidis Historia* à foedore A-
dami ad Annos fugæ Muhammedicæ, & *Eli-
macini Historia Saracenica*, de quibus, ut
&

* (o) *

& aliis vid. Hotting. Hist. Sac. See. X. Setz. I.
p. 34. seqq. & Smegm. Orient. Lib. III. part. II.
Cap. 2. p. 71. seqq. Ubi & plura scripta reperi-
es Theologica ab Arabibus edita , quæ
Theologie quoque Practicæ, Polemicæ
ac Dialecticæ inserviunt , quorum usum
jam sigillatim ostendere brevitatis studio,
cum jam cuivis innotescat facile , prohibe-
mur.

§. XV.

Jam in *JURISPRUDENTIA* an-
commodi quid afferat notitia Lingvæ Arabi-
æ dispiciemus. Erpenius Orat. de Ling. Arab.
p. 33. *Libros, ait, morales, politicos & Legales nee*
pancos habent Arabes nec exiguæ molis. Hinc &
Wasmuth. Paren. ad Gram. Arab. Sufficiat igitur,
inquit, dixisse J. C. quidem tam commendatam
esse debere Linguam Arabicam, quam commen-
datione dignissimum est, Leges, instituta & placi-
ta tot Orientis Sapientum, adeoq; justitiam i-
psam totius Asie atq; Africæ & magni illius Im-
perii Saracenici cum Romano & Patrio Jure
conferre posse, queque inde Patriæ sua ac civium
saluti accommoda sint, prudenter ac salubriter
nosse attemperare. Quadrare quoque huc vi-
dentur, quæ habet Dillherrus Disput. Acad.
Tom.

Tom. II. p. 76. 77. Etiam si curiosum forte quibusdam videtur, in ea, qua multis abhinc seculis & locis quam maximè diffisi: is, acta fuerunt, inquirere: Nos tamen infants potius quam hominis studiost esse existimamus, ea, quæ ante nos gesta sunt, ignorare: Præsertim si vel aliorum Scriptorum mentem inde melius possimus percipere, vel vitam nostram instituere melius. Inter ista merito referimus σκοτελισμὸν cuius L. 9. ff. de Extraord. Crim. Hippianus meminit. Lex est ista: Sunt quedam, que more provinciarum coercionem solent admittere, ut puta in provincia Arabia σκοτελισμὸν crimen appellant, cuius rei admissum tale est: Plerique inimicorum solent prædium inimici σκοτελιζεν i. e. lapides ponere, indicio futuros, quod si quis cum agrum coluisset, malo letho periturus esset &c. Locus extraordinarii hujus criminis fuit Arabia, nimirum Petrea. Reliqua legantur in ipso Auctore. Constat hinc, expositionem hujus Criminis non aliunde magis, quam ex Historia petri posse Arabica. Plura qui de Usu hocce volet, adeat Erpenium, qui hac de re varie disserit in suis Orationibus, & Pocockium Or. cit.

J. XVI.

Arabum porrò Literaturam ex *MEDICINA* quoque haud exilè obtinuisse nomen, jam in vulgus notum est. Optimam quippe Medicorum cognitionem è Scriptoribus Arabum Medicis, quibus superbiit ista Regio, esse petitam, quis ignorat? Sic tempore Mustarshedæ excelluit inter Medicos *Abu - Zelt Ommiades*, teste Juch. f. 149. a. Celeberrimus tamen fuit *ابن سينا* أبو علي *Ibn-Sina*, qui vulgò *Avicenna* vocatur, ab Andrea Alpago Latinè versus vitamque ad annum 155. produxisse perhibetur; scripsit is *Canones Medicos*, de Medicamentis simplicibus, & plura, quæ recentur Hotting. Hist. S. N. T. Sec. XI. Sect. II. p. 261. Vid. h. l. Huerius Lib. de Clar. Interpr. p. 184. seqq. Ad palatum hoc loco Petri Kirstenii Vratislavensis sunt verba, quæ habet in Praef. Gram. Arab. Cum ad Medicinæ praxin accederem, en invenio & mutos scriptis ac voce sua Præceptores meos hæc & similia proferre iudicia: qui Medicus bonus vult fieri Practicus, bonus necesse sit Avicennista; (sic enim illi loquebantur) itemque cum Medici alicuius, qui ad opera præceos accedere vellet,

vellet, fieret mentio, audivi non raro à praestantissimis Medicis antiquis quæsumum fuisse:
 Estne bonus Avicennista? quod cum affirmaretur, responsum fuisse ab ipsis: ergo necessario erit bonus practicus. Hæc ille.
 Confer. Job. Elichmanni Epist. de Usu Lingv. Arab. in Medicina, Jenæ anno 1636. impressa.
 Multum quoque studium Medicum ابی راشد Ibn-Raschid, i.e. Averroë, Avicennæ Ämulo debet, Cordubensium Medico ac Philosopho illustri, qui & Scholia in Institutiones Medicas Ibn Sine conscripsit, & cui Anni attribuuntur 125. Vid. Buch. A. C. 1145. & Hotting. loc. cit. Alharithium Ebn Chalda'at طهیب العرب dictum,
 & ipso Muhammede antiquiorem fuisse,
 ait Pocock. loc. cit. Præter hos floruere maxime
 Muhammed filius Zachariæ, Ibn-Abi
 Zadeck, Ibn-Omar samarcandus,
 Mahmud Ibn-Zain, Masud Ibn-Haci-
 muddini, Alhosna, & complures alii,
 quorum nomina & scripta recensentur in
 Hotting Smegm. Orient. Lib. III. part. II. p. 212.
 seqq. & Wolfg. Justi Chron. Med. p. 96. seqq.
 Sunt & inter Manuscripta, quibus gloriatur
 Insignis hujus Academiæ Bibliotheca Paulina,
 Libri non pauci ab Arabum Medicis
 con-

(o)

conscripti & Latinè versi , prout claret è *Catalogo MS. à B. Fellerò edito.* Multi quoque Arabes Græcorum Libros Medicos transtulerunt in Linguam sibi vernacularum ; notisque illustrarunt , qui minimè contemnendum Medicinæ Studiosis præbent usum , quod ipsum nostrates Medici hoc saeculo illustres testati sunt , quos inter haud postremus *D. Guernerus Rofincius* , Medicus quondam Jenensium Celeberrimus , qui , præcepta Medica tradens atque inculcans è Cathedra aliis , multa , quinimò plurima , ipsissimis Arabicis verbis declarare atque illustrare haud erubuit . Ita & *Eraustus de causis morborum* pag. 99. *Arabibus deberi* , ait , *restitutionem Medicine in Europa* , teste *Hottinger. Anal. pag. 292. seqq.* Tacemus sàpè citatum *Jac. Golium & Petrum Kirstenum* , Medicum Vratislavensem , cum quantis sumptibus literas Arabicas fundi curaverint & varia Opera ediderint , satis innotuit , & alios .

§. XVII.

Ultra hæc *PHILOSOPHO* quoque Sermonis hujus notitiam fructum præbere utilitatis , persuasissimum est . Musas enim Philosophicas ab Arabibus præ cæteris excul-

exultas scimus, Ita nāt ἔξοχὸν Philosophus
 audit يعقوب أبو يوسف بن ابي حفص
 Jacobus Abu Joseph, Filius Isa-
 acri, Cendaeus. Aemulus hujus erat ابْنِ مَشْدِيدْ
Ibn-Ra-schid, cui successit *Ibn-*
Chalican, (quem Sionita de moribus Ori-
 ent. p. 281. Celeberrimum omnium Ara-
 bum fuisse Philosophorum asserit,) aliquo
 quam plurimi. Libri aliquot Aristotelis A-
 rabice adjectis Scholis extant, qui Avicen-
 na tribuuntur à nonnullis, quippe qui
 Medicus non solum, verum & Philosophus
 Arabes inter ad maximam laudem insignis
 audit. De quo imprimis Pocockium in Or.
 cit. consule. Habere suas hac in re partes vi-
 dentur verba Ludovici Vivis de caus. corrupt.
 Art. Lib. 5. p. 179. Sed enimvero neque hac ipsa
 Aristotelis Volumina (de Physica, prima Phi-
 losophia, Cœlo & generatione) potuerunt in-
 telligere, primum propter lucutionem astrictam
 & ex brevitate obscuram: hinc propter intri-
 catas & obliquas sententias: tum etiam ob im-
 modicas subtilitates, quibus Aristoteles plerum-
 que non exacuit ingenia, sed perturbat & fran-
 git, tenebrasque & hallucinationem inducit a-
 ciei mentis, dum conatur minutias quasdam sub-
 tilissimas

tilissimas ostendere & inuiles per se, & que intentionem obtutus ingenii subierfugiant ac frustentur: non aliter quam si filia monstrare quis vell let rudentium illius navis quam Myrmecides fabricatus est, apicula contextam: vel disperdiunculas Iliados, quanuic capiebatur. Tales sunt illius Libri, Græcè quidem ut ab eo sunt perscripti, nam Latini ita legimus, ut enigmata audire Te credas, non planum sermonem atque explicatum, quales inter se homines consueverunt usurpare. Dicet aliquis grave incommodum, sed ideo tolerabile, quod adjuvemur bonis interpretibus ac expicatoribus ab Arabia usque accitis: quibus tandem? Versio ne Arabica & Commentarius Aben-Rois, quem Philosophi de nostra Schola, qui post eum scripsere, ita sunt amplexati, ut penè Authoritati Aristotelis adæquarint &c. Sed mere sunt ironica, ut è præcedentibus videre licet, quæ legas in ipso Autore & apud Hottingerum Hist. Sac. N. T. Sec. XII. In contrarium nobiscum propendet Gerard. Joh. Vossius pres. in Lib. de Idol. Gentil. Arabes, ratus, Philosophos Aristotelis mentein longè sagacius perspexisse, quam Græcos vel Latinos. Prater Avicennam & supra notatus Ibn-Chalican Rheticam LXX. Librorum, Commentarii instar in Aristotelem, conscripsisse dicitur.

dicitur. Sic & Scholia quæplurima in Aristotelis opera, & scripta permulta Philosophica Arabum tradit *Hottig. Smegm. Orient.*
loc. cit. p. 219. seqq. & Anal. p. 253. seqq. Conf.
 & hoc loco *Huetius de Clar. Interpr. p. 154. seqq.*
& 178. seqq.

J. XIX.

Mec minus in *ASTRO NOMIA* celebra in vulgus Laus Arabum semper. Hinc quoque isti studio Lingua hacce quæstuoissima cernitur, sine cuius cognitione quid Zenith, quid Nadir, Azimuth, Almukantarrath aliaque ejus generis voces sibi velint, ignoramus, nisi alieno vitulo arare velimus. Autor *Zemach David Albatenium* sete *Muhammedem Aratensem Tabularum Astronomicarum inventorem* statuit. Inter omnes tamen Arabum Astronomos *Muhammed Fil. Ketiri Ferganensis* (qui vulgo *Alfraganus* dicitur) *Arithmeticas & calculi Astronomici* solertia adeo excelluit, ut *الحاسب Computator cognominatus* fuerit, dicente *Golio*, qui ejusdem *Elementa Astronomica* Latinè & Arabicè adjectis Notis edidit. *Thebit ben-Cora* item & *Alfarabium* Astronomos fuisse haud insimi ordinis

(o)

affirmat Hotting. *Hist. Sac. N.T. Sec. XI. S. II.* quo
loco & alios qui de Instrumentis Astronomi-
cis, item de Planisphæriis, Astrolabio, Calen-
dariis &c. scripsere Arabes, ordine recenset.
Historiam insuper, quam habet Juch. p. 148. b.
de diluvio, quod Astronomi tempore Mostaa-
lae, filii Mostadheri Chalifæ, prædicti-
xerunt ut &
nomina Schematum cœlestium, Stellarum,
Mensium atque dierum &c. vide apud jam-
cit. Aut. Anal. p. 310. seqq. & *Hist. Sac. N.T. Sec.*
XII. p. 199.

§. XIX.

Cæterum & *OPTICÆ*, *ARITHME-*
THICÆ, *GEOGRAPHIÆ*, *GEO ME-*
TRIÆ ac *MUSICÆ* operam dedisse Ara-
bes, eorum hac de re monumenta testimo-
nium dicunt, ut lunt *Commentaria in Libros*
Opticos Aaseni Ibn - Haitem Basensis;
Ptolomai Libri V. Optici. *Chejamii Al-*
gebra Cubica; *Ibn-Ibrahim Demonstratio*
Regule falsi. *Geographus Nubiensis*; *Geo-*
graphia Abulfedz, quam Latine interpreta-
tus est Schikardus. *Thebit Ibn - Cora pro-*
blemata Geometrica; *Ibn-Serri de dimensio-*
ne & Sectione Sphærae. *Alfarabii Liber de*
proportione Musicae. Hæc & alia ejus generis
scripta

•(o)•

scripta recenset *Hottig, Smegm. Or. Lib. III.*
P.II. Quidni igitur in hisce quoque studiis
ullum hinc operaे pretium speremus?

¶. XX.

HISTORIARUM nihilominus alu-
mnū ad acquirendam hujus Linguae noti-
tiā vel unum hoc excitabit, quod absque
ista in Græcorum pariter atque Latinorum
scriptis sèpius impingat. Nescit enim quid
هجرة Hegira, مملوك Mamluk, خليفة

Chalifa, شريف Scherif, سرقوسا Sar-
aceni, مفتي Musi, وزير Vezir, مختار
Muhammed aliave ejus tarinæ vocabula sibi
velint vel undè descendant. Ipsum quo-
que non parum moratur, quando mentio-
nem injici observat diversarum Ærarum

(quam ipsam vocem ab Arabico هجرة deri-
vant ineptè Lingue hujus imperiti) seu Epo-
charum; talis est هجرة Epoch Hegira, seu
fuga Muhammedicæ; Epoch دوالكر ذي بنان
Alexandri Magni; Epoch الائمة الطهريين
Martyrum Sanctorum seu Dicio-
cletiana. Extant varia Historiographorum
tam Universalium quam particularium scri-
pta

❀(o)❀

pta apud Hotting. Smegm. Orient. Lib. III. P.
II. à pag. 267. ad 271. quorum jam non est
narrandi locus.

§. XXI.

POESEO'S tandem haud ignaros deprehendimus Arabes. Multi enim Chalifæ & Reges Poetæ fuere celebres atque felices. Sic *Abulhasenus*, qui cum à fratre Mustarschedo Billa Chalifa esset captus, carminibus gratiam ejus ambiit. *Talaajum* quoque ut & *Mostanghedum* carmina reliquissimæ posteritati, testis est Hotting. Hist. Sac. N. T. Sec. XII. Prægrandem insuper Poëtarum numerum vide apud Eundem, Smegm. Orient. Lib. III. P. II. à p. 262. ad 267. Haud postremi inter illos fuere أبو العلاء أحمد بن سليمان أبو الطفراوي Abu-l-
la, Akhmed, fil. Abdallæ, fil. Solimân, cuius varia Carmina Golius edidit; & أبو عبد الله محمد بن سليمان Abu-Is-
mael Togræi, cuius carmen eruditissimum. لامبة الـ dictum, notis illustratum
operâ Ed. Pocockii Oxonii 1661 prodiit. καλ-
λιγερος denique studiosissimi sunt Ara-
bes. Ad majorem enim Scripturæ venusta-
tem

tem multi peculiares quosdam nexus Literarum & ductus excogitârunt, ut sunt *Abu-Ali Ibn-Moeza*, *Ebnotvuvoba*, aliique. Diversa Scripturæ genera vide in Gram. nostra p. 6. 7. Alios eruditione celebres mittimus in præsenti. Vid. & b. l. Steph. Morin. Exercit. de Lingua primæva, p. 435.

§. XXII.

Vides ex his, L. B. magno Usui multis in rebus esse Linguam Arabicam nosse. Et sanè ipsa Arabia quid est aliud, quam vivum Musæum, tot proceribus & antesignanis refertum Literarum? Floruere quippe ibidem Academiæ varia, Marocci nempè, Fesse, ubi Bibliothecam fuisse asservatam, in qua 32000. Libri, asserit ex aliis *Waltonii* Diss. cit. p. 77. Hubedda, Constantine, Tunet, Tripoli, Sigillmessa, Alexandria, Cairi, Basora & Cufæ; (de quibus Job. Leonie Africa) floruere artes, & scientiæ per annos ferè Sexcentos, cum regnaret apud nos foeda barbaries & literatura omnis esset prosus extincta, dicente Bocharto in Phaleg. Lib. I. cap. XV. Florent hodienum Scholæ illustres & studia, ceu illi testantur, qui è Regione ista bello capti ad nos redeunt. Pauca, hæc B. L. æquo animo accipe, boni consule


no-

nostrisque conatibus fave, reputans nobiscum illud Senecæ, quod habet Epist. 64. *Etsi omnia à veteribus inventa essent, hoc tamen semper novum erit, nūs & inventorum ab aliis scientia & dispositio.* Restat, Deo immortali gratias persolvamus debitas, quod sua Clementia ac Gratia nos hoc in stadio adjuvare voluerit. Faxit Summus rerum Arbitrus atque stator, ut hæcce qualia qualia vergant in Nominis sui SS. Gloriam, nostrum item & Ecclesiæ suæ emolumentum quām maximum, per Christum Dominum nostrum! Neque in alio universum vitæ nostræ genus æque, quām concinendis divinis laudibus fundendisque precibus ac votis versabitur.

وَالْمُكَبَّلَةُ وَالْمُكَبَّلَةُ

SUPER-

CHILOMETER CIRCUS CIRCA CUPPAS CIL-
LARUM



SUPERPONDIA.

I.

Muhammedani Hagareni vocantur non ab Hagare ancilla Abrahami, sed quasi
اجرین *juxta Elma-*
cinum Hiflor. Sarac. Galios.

II.

Saraceni dicuntur non à Sara,
nec à ساره sed potius ab Arabico سارق furatus est.

III.

Alcoranus multa habet contradictoria.

IV.

Alcoranus mendaciis atque fingenitis scatet.

V.

Muhammedani non planè contemnda

(o)

temnenda de nostra Religio-
ne statuunt.

VI.

Messiae nomen apud Arabes ve-
nerabile est ac frequens.

VII.

Dialectus Turcica ab Arabica
differt ut Gallica à Latina.

IIX.

Primum Corani Caput à Mu-
hammedanis tanti æstima-
tur, quanti nos Orationem
Dominicam facimus.

IX.

سراکیر سرکیر Seraskir videtur
compositum ex Arabico سرگری Dux, Princeps; & Turcico
جند Exercitus.

Fuga



Fuga Vacui.

Excerpta Epistolæ D. Jordani
Edenii ad V.C.D. Joh. Henr. Hot-
tingerum, quæ extat Smegm.
Orient. L.I. p.3 seqq.

Quod superioribus seculis Lite-
arum studia , vel neglecta
prorsus fuerint, vel certè minus fe-
liciter culta , duo cum primis ef-
fecisse mihi videntur ; pretium e-
arundem haud redè estimatum,
Et via , partim incerta , partim
nimium difficilis , qua ad erudi-
tionis metam hominibus istis era-
ince-

◎(o)◎

incedendum. Atque prius quidem illud malum non tam frequentior armorum usus peperebat, atque toto mundo sæviens Martis crudelitas, quam detestanda illorum, qui sacra pariter & profana sui juris fecerant, socordia atque ambitio, quæ major haud dubiè orbis calamitas censi debet. Cum enim illi non modo rudes ipsi plerumque fuerint, sed & dominationi suæ tanto melius cautum viderint, quanto crassior hominum mentes occuparet cæcitas, haud mirum est, literas tum sensim contemni cæptas, atque adeò paucos fuisse, qui ad illas animum appulerint. Sed & isti, quibus de meliori luto præcordia erant,

huc

• ☈(o)•

huc conversi nullum invenire
potuerunt idoneum ducem , un-
de quidam in ipso statim limine
substitere , quidam majora austi,
post longas molestias nihil minus,
quam quod quæsiverant , sunt
assecuti. Ut enim ad summam
miseriam nihil amplius deesset,
Scholas simul fastus & adulatio
invaserant , quibus factum est,
quod veri sapientiae fontes pri-
mum neglegti fuerint , mox
spreti , tandem quod malorum
caput erat , severe prohibiti :
contra autem somnia , fabulæ,
& quidquid tandem futilem dis-
putationum , quod vel ad o-
stantandas ingenii vires , vel su-
perstitionem confirmandam perti-
neret , tanquam divina oracula
discen-

(o)

discētib⁹ obtrusa &c. Inter varias verò hæc
reliquarum disciplinarum vices, duriorem longè
sortem expertæ sunt Orientales Linguae, utpote
quarum studium usque ad nostra pene tempora,
e Christianorum Scholis vel exulavit prorsus, vel
ab oppido paucis suscep⁹tum est &c. Totum igitur
illud, quantum est, clementia divine debetur, quod
superiore seculo, hi orientis Thesauri in orbem
nostrum fuerint inventi &c. Nemo sanioris ju-
dic⁹i erit, quin ad primæ necessariam, Theologi
presertim judicet, non modo tantam Hebreæ
Lingue notitiam, ut textum sacrum resolvere,
intelligere, atque sic ex ipsis fontibus sensum erue-
re queat; sed & aliquam reliquarum Orient-
alium; quarum insignis, in locis scripturæ dif-
ficilioribus, usus vel mediocriter doctis satis est
manifestus. Arabum scripta quod concernit,
quanto illa recentius in nostrum hunc orbem in-
troducta sunt, tanto minus vulgo hucusque inno-
tuuerunt, quo sit, ut de illis pauci adeo sint sollici-
ti. De ipsis eorum dubitare facile non potest,
qui populi isti ortum, mores, gesta denique
vel mediocriter novit.



Quotusquisque

R.

Rex
Ridere


DA 12
d, 39

+26.11.18

KD77

B.I.G.

Farbkarte #13



Q. D. B. V.

R U C T U S
NGUÆ ARABICÆ,

utæ Facultatis Philosophicæ
indultu,

ERTATIONE PHILOGOGICA

in

ALMA LIPSIENSI

H. L. Q. C.
ostendit

II. Decembr. A.O.R. M DC XCII.
publicæ συμφιλοσογένταν disquisitioni
submittit

P R Ä S E S
OH. DAVID Schieferdecker/
Weisenfels. Misn.
R E S P O N D E N T E
IANNE-MARTINO Schmid/
Coburgo-Franc.

Auctior edita Anno M DC XCV.